

rent legatos,^b seque coram mandata darent. Adclamauere vt filius Blæsi tribunus legatione ea fungeretur , peteretque militibus missionem ab sexdecim annis:^c cætera mandaturos vbi prima prouenissent. Profecto iuuene modicum otium : sed superbire miles, quòd filius legati orator publicæ causæ,satis ostéderet, ^d necessitate expressa,quæ^e pér modestiam non obtinuissent. Interea manipuli ante cœptam seditionem Naupor-tum missi,^f ob itinera, & pontes, & alios vſus,^g postquam turbatum in caſtris accepere, vexilla conuellunt, direptisque proximis vicis, ipſoſque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones^h inris & contumeliis, postremo verberibus infestantur, præcipua in Aufidienum Rufum præfectum caſtrorum ira, quem direptum vehiculo farciniſ grauant, aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes, an tam im-mensa onera, tam longa itinera libenter ferret? Quippe Rufusⁱ diu ma-nipularis, dein centurio , mox caſtris præfectus, antiquam, duramque militiā reuocabat,inuitus operis ac laboris, & eō immittior quia tolera-uerat. Horum aduentu redintegratur seditio, & vagi circumiecta popu-labantur . Blæſus paucos maximè præda onuſtos^k ad terrorem cæterorum adſici verberibus, claudi carcere iubet. Nam etiam tum legato à cen-turionibus, & optimo quoque manipulariū parebatur. Illi obniti trahen-tibus, preſare circumstantium genua, ciere modò nomina singulorum, modò centuriam quisque cuius manipularis erat, cohortem, legionem,

O B S E R V A T I O N E S.

a Per legatos omnia legitime aguntur.

b Ad militarem disciplinam pertinet, dare operam, ne quidquam exercitus agat, niſi coram, & preſente, & ſi fieri poſt, auctore imperatore.

c Multa & maxima petiūrū obſeruer, non omnia ſimil peti oportere; ſed gradatim; atque ita ut, que facilius impetrari poſſe videntur, priuſ petat: que vbi prouenerint, cum demum illa, que difficiilius obtineri poſſunt, tentare tendat.

d Tum maxime superbunt homines cum, que abiecta modetia, per vim, ſunt expreſſa, procedunt.

e Interdum neceſſitate exprimuntur que priuſ per modetiam obtinui non potuerant.

f Quām ſepiſime apud veteres ſcriptores obſeruari poſt, ad militarem disciplinam & hoc perti-nuiſſe, ut milites ipſi ſibi itinera, pontes, aliaque eius generis, cuiusmodi ſunt, ag geres, vallum, foſe, turreſ, aliaque conſicerent, & reficerent, ſecus quam hodie fit, quippe ne miles otio corrumpere-tur, pacientia laborum durari eum oportere maximus quisque vir ſemper exiſtimauit.

g Similes à ſimilibus ad deterrima queque facilem impelluntur.

h Hi ſunt gradus iniuriæ; inriſus; contumelia; verbera.

i Is demum qui ceteris præficiatur dignus eſt, non qui, ut hodie moſ eſt, priuſ imperat, quām an-tea obtemperauerit, ſed quem ab infinito ad supremos militiæ gradus propria virius euexit. hic certe quia labores militares aliquando tulit, cum quos ad bellum ducat, ſunt, non corruptam, ac deprava-tam, cuiusmodi cuperent ignavi milites, ſed inuitus, ſcilicet, operis, ac laboris, antiquam, duramque militiam, cuius ope res maximæ geruntur, reuocat.

k Seditione in exercitu coorta, dux, ſeu imperator in paucos animaduertere debet ad terrorem cæterorum, in quos autem animaduerit, iij eſe debent, qui in eo ſcelere depreheſi ſunt, cuius nulla, ne apud furentes quidem excuſatio reperiri poſt; exempli Blæſi, qui præda onuſtos puniit, quia in eo peccatum eſſe aduerſus disciplinam militarem inficiari nemo poterat.

eadem